



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXIX. De rostris & laqueis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

nens pelles perenniter, aut pelliciam, vel aliquid tale, quod ad vsum corporis pertineat, etiamque coopertorium, nisi agnorum vel arietum, habeat. ANNO CHRISTI 1117.

## XXIV.

*Vt vetusta armigeris diuidantur.*

Procurator vel dator pannorum omni obseruantia veteres semper armigeris & clientibus, & quandoque pauperibus, fideliter æqualiterque erogare intendat.

## XXV.

*Cupiens optima deteriora habeat.*

Si aliquis frater remanens ex debito, aut ex motu superbiæ, pulcra vel optima habere voluerit, ex tali præsumptione procul dubio vilissima merebitur.

## XXVI.

*Vt quantitas & qualitas vestimentorum seruetur.*

Quantitatem secundum corporum magnitudinem largitatemque vestimentorum obseruare oportet: dator pannorum sit in hoc curiosus.

## XXVII.

*Vt dator pannorum in primis æqualitatem seruet.*

Longitudinem, vt superius dictum est, cum æquali mensura, ne vel susurrorum vel \*comminatorum aliquid oculus notare præsumat, procurator fraterno intuitu consideret, & in omnibus supradictis Dei retributionem humiliter cogitet. \* forte criminatorum

## XXVIII.

*De superfluitate capillorum.*

Omnes fratres, remanentes principaliter, ita tonsos habere capillos oportet, vt regulariter ante & retro, & ordinate, considerare possint; & in barba & in grennionibus eadem regula indeclinabiliter obseruetur, ne superfluitas aut facetiæ vitium denotetur.

## XXIX.

*De rostris & laqueis.*

De rostris & laqueis manifestum est esse gentilitium.

Et

ANNO  
CHRISTI  
1117.

Et cum abominabile hoc omnibus agnoscat, prohibemus & contradicimus, vt aliquis ea non habeat, imo prorsus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus rostra & laquea, & capillorum superfluitatem, & vestium immoderatam longitudinem habere non permittimus, sed omnino contradicimus. Seruientibus enim summo Conditori munditia interius exteriusque valde necessaria, eo ipso attestante, qui ait: *Estote mundi, quia ego mundus sum.*

XXX.

*De numero equorum & armigerorum.*

Vnicuique vestrorum militum tres equos licet habere, quia domus Dei templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræsentiarum augere, nisi cum magistris licentia.

XXXI.

*Nullus armigerum gratis seruientem feriat.*

Solum autem armigerum singulis militibus eadem causa concedimus; sed si gratis & caritatiue ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

XXXII.

*Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.*

Omnibus militibus seruire Iesu Christo animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negotio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei necessarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde vero, ex vtraque parte æqualitate seruata, bonum & vtile appreciari equos iudicauimus. Habeatur itaque precium in scripto, ne tradatur obliuioni, & quidquid militi, vel eius equis, vel armigero, erit necessarium, adiunctis & ferris equorum secundum facultatem domus, ex eadem domo fraternam caritatem impendatur. Si vero interim equos suos miles aliquo euentu in hoc seruitio amiserit, magister, prout facultas domus hoc exigit alios administrabit. Adueniente autem termino repatriandi, medietatem precii ipse miles diuino amore concedat, alteram ex communi fratrum, si ei placet, recipiat.

*Concil. Tom. 27.*

K